



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 34. Castellanorum Rebellium Legatio ad Papam

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.
A.C. 1468
Marte; quippe cum seditiosi uno ore vociferarentur: *Vivat Varvicensis Comes*, Herberti milites infelici errore Varvicensem Comitem cum tota exercitus sui vi pugnæ præsentem arbitrabantur, unde panico terrore perculsi, una omnes præcipiti fuga, totoque pedum studio elabuntur, desideratis suorum quinque millibus, ac pene innumeris bello captis. Hos inter ipse Herbertus, ejusque frater numerabantur, qui capite plexi vitam finierunt. Præterea nonnullæ copiæ a reliquo Vitricis exercitus agmine ex conducto segregatæ Graftonii in Comitem de Rivers Reginæ Patrem improvise impetu irruunt, ac eidem, ejusque filio caput obtruncant. Hac victoria clarus Varvicensis in Angliam rediit, ut novis juxta ac præclaris armorum successibus annum proximum magis adhuc celebrem redderet.

§. XXXIV.

Castellanorum rebellium Legatio ad Papam.

Marian. l. 23
c. 11. & 13.

Nec in Castellæ Regno seditiosi turbas movere cessabant; quapropter summus Pontifex novam ad eos legationem decernebat, ac rebelles secunda jam vice excommunicationis sententia percellere statuebat. Hi tamen inde minime territi,
con-

confestim Oratores Romam ablegant, qui perduellionis culpam diluerent. Verum eis non prius facta est ad urbem accedendi potestas, quam jurato promississent, quod Alphonso Henrici Regis fratri Regis titulum non attribuerent. Annuunt Oratores, quibus Papa in conspectum suum admissis plurima crimina objicit, atque eorum rebellionem in legitimum Regem verbis gravibus exprobrat, mandatque, ut Pontificis nomine seditiosis denunciarent, quod excommunicationem ipso facto incurrissent, nec ullam salutis spem reliquam haberent, nisi ad saniora consilia redirent. His addidit, quod Alphonso alienæ culpæ reum se fecerit, atque ideo immatura morte criminum suorum poenas daturus, infirmitate, qua laborat, brevi decessurus esset; ex ejus autem obitu rebellibus novos tumultus impendere præfagiebat, si adhucdum eum pro Rege habere perseveraverint. Hoc vaticinium paulo post fuit adimpletum: Alphonso enim juvenis, cum Tolletanam urbem, quam illius Præfectus in Henrici Regis potestatem revocaverat, obsidere pararet, in itinere repentino morbo opprimebatur, ac die quinta Junii, seu peste seu veneno, (varia Scriptorum est opinio) nonnisi sexdecim annos natus e vivis excessit.

Sæcul. XV.
A.C 1468.